# QVÆSTIO XV.

## SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Donatio excedens ſummam quingentorum ſolidorum debet inſinuari.*
2 *Inſinuatio quid ſit.*
3 *Et quomodo fiat.*
4 *Et an requiratur, quod ſiat in loco iudicij.*
5 *Et an in inſinuatione requiratur decretum iudicis.*

Ex Additionibus.

1 *Inſinuatio donationis, ſummam 500. ſolidorum excedentis, ob quas rotiones fieri debeat.*
2 *Solidus in iure noſtro eſt aureus.*
3 *Ratio cur aureus dicatur ſolidus.*
4 *Donatio abſque inſinuatione, ad quam noſtratium aureorum quantitatem hodie fieri poſſit, remiſſiue.*
5 *Statutū, et cōſuetudo loci de donationis inſinuatione ſpectāda.*
6 *Inſinuatio quomodo definiatur, remiſſiue.*
7 *Coram quo iudice inſinuatio expediri queat.*
8 *In donationis inſinuatione debet apparere de voluntate iudicis, quod donationem ad acta referri velit.*

## QVÆST. XV.

1 *Sciendum eſt etiam, quod ex diſpoſitione l. ſancimus. in C. de dona. cautū fuit, quod omnes donationes excedentes ſummam trecentorum ſolidorū* a *deberent* [a] *inſinuari: ſed deinde ſumma fuit aucta per l.pen. §. fin. C. de donatio. vſque ad ſummam quingentorum ſolidorum. Fac ergo regulam, quod in quacunque donatione* [b] *excedente ſummam 500. ſolidorum, neceſſario requiritur, quod donatio ipſa inſinuetur, alias non valet. Iſti autem quingenti ſolidi hodie faciunt ſummam ſeptingentorum* c [c] *ſcutorum iſtius temporis: & ita interpretatur communis opinio, vt dicit Bellon. conſ.74.nu.22. imò Duen. in reg.224. limit.19. in fin. dicit, quando hodie valet etiam vltra mille aureos. Et in propoſito quomodo intelligatur ſolidus legalis, dixi infr. lib.7.§. ſolidus. Quod nota, ne forte tibi eueniat, prout illi Iudici Montis Pulciani, qui reuocauit quanda donationem factam vltra trecentas libras, quatenus excedebat ſummam vigintiquinque librarum, de quo mentionem facit Ioan. Andr. in addi. ad Spec. in tit. de don. §. porro, in vlt. Apoſtil. circa fin. vbi refert Roſ. de illo dicen-* d *tem, quod non erat* [d] *Iuriſta, licet guſtaſſet de brodio iuris. Et quia hoc loco incidit mentio inſinuationis, cuius materia multoties contingit in practica, non ſolum propter diſpoſitionem iuris communis, ſed etiam propter ſtatuta, quæ in multis locis diſponunt inſinuationes donationem, vel teſtamentorum fieri debere; non impertinens erit aliqua præmittere ad intelligentiam terminorum.*

2 *Quæro ergo, quid ſit inſi-* e *nuatio? Reſpon. quod eſt per* f *ſuperiorem* [f] *auctoritatis præſtatio. Et licet hæc non ſit bona, neque congrua diffinitio, neque deſcriptio; tamen conſuetudo videtur hanc deſcriptionem admittere, vt dicit Alb. in l. illud poſt num.2. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & in hoc non inſiſto, quia plerunque in huiuſmodi diffinitionibus tempus conterere eſt prorſus inutile.*

3 *Quæro etiam, quomodo fiat inſinuatio, & an poſſit fieri vnico contextu cum ipſa donatione? Reſpon. quod ſic: & ideo practica inſinuationis faciendæ eſt, quod donatio redigatur ad ſcripturam, & poſtea coram iudice publicetur, & regiſtretur apud acta; vel etiam ſufficit, quod donatio ipſa ſcribatur, & publicetur coram iudice abſque alia ſcriptura, vel regiſtratione. Et ita apud nos ſeruari atteſtatur Ioan. Andr. in addit. ad d. §. porro ſub nu.4. in fin. Hanc etiam eſſe communem opin. & ita communiter ſeruari atteſtatur Guido Papę conſ.23. num.11. in c. cum contingat. nu. 9. de iureiur. quem refert Corn. conſ.36. in lit. A. lib.3. ita etiam apud nos ſeruari dicit Ant. Can. de inſin. in 1. part. num.4. & ſeq.*

4 *Vlterius quæro, nunquid requiratur, quod inſinuatio fiat in loco iudicij? Reſp. quod non,* g *ſed ſufficit,* [g] *quod fiat coram Iudice, etiam alibi, quam in loco iudicij: & ita communiter obſeruatur, vt dicit Io. Andr. in addit. ſupra allegata. Imol. in d. c. cum contingat, poſt num. 93. Eſt enim hic actus, qui non requirit plenam cauſæ cognitionem, prætereaque eſt actus voluntariæ iuriſdictionis, vt tenent Doctores, teſte Canar. de inſinuatio in 1. part. nu.14. merito poteſt vbique exerceri: intellige modo ſit locus honeſtus, & carens ſuſpicione.*

5 *Item quæro, an in inſinuatione requiratur decretum iudicis? Reſp. quod non. Ita tenet Bart. in l. Modeſtinus, poſt nu. 3. ff. de donat. & eſt commun. opin. vt dicit Corn. in d. conſ.36 in littera B. lib. 3. Cum enim donatio ipſa dependeat ex ſola donantis voluntate; non eſt opus neque cauſæ cognitione, neque decreto, ſed ſola ipſius iudicis præſentia ſufficit.*

## ADDITIONES.

à Inſinuari.] De non inſinuata donatione vide per Menoch. conſil.261. Rationes, ob quas donationes inſinuari debent, ſunt quatuor: quas vide apud Duen. reg.214. vbi habes reg.2. ampliationibus, & 19 limitationibus. *Giach.*

b *In quacunque donatione excedente ſummam 500. ſolidorum neceſſario requiritur, quod donatio ipſa inſinuetur.*] Ra-
1 tiones, ob † quas donationis quingentorum ſolidorum ſummam excedentis inſinuationem fieri neceſſe eſt, quattuor à Doctoribus aſſignantur. Prima eſt: vt inter donationé, & inſinuationem poſſit deliberare donans, an ſibi expediat donationem perficere, nec ne, argum. Nouell. 23. cap.1 verſ. vt liceat homini intra id ſpacium pleniſſime deliberare, &c. Secunda ratio eſt: vt iteratio actus oſtendat, & declaret perſeuerantiam mentis ipſius donatoris: ſicuti dicitur de actu geminato in l. Balliſta. 32. vbi gloſ. & DD. ff. ad SC. Trebell. Tertia eſt ratio: vt tollatur omnis ſuſpicio fraudis, & deceptionis. l. data.
b 27. Cod de donationib. Quarta ratio eſt: vt occurratur falſis probationum modis, argum. l. fin. C. de fideicommiſſ. Anton. de Canario in tract. de inſinuat. part. 1. quæſt. 9. numero 18. Petrus à Duen. reg.224. Roland. à Valle conſil.70. num.17. lib.2. Berous conſ.56. num.9. lib.1. Petrus Nicolaus Mozzius in tract. de donationib. tit. de ſubſtantialib. ſeu quæ requirantur in donat. num.7. Rebuffus in Comment. ad Reg. Conſtit. Galliar. tom.1. tit. de donat. inſinnand. art.1. gloſ.1. num.2. Menoch. conſ.261. nu.19. & ſeqq. lib.3. & D. Collega Bocer. in Comment. de donat. cap.3. num.57. edit.2. *Harprec.*

c *Septingentorum ſcutorum iſtius temporis.*] Adde ad idem & per Natta in conſ.28. col.1. qui alios recēſet concor. *Giach.*

*Quingenti ſolidi hodie faciunt ſummam ſeptingentorum*
2 *ſcutorum, &c.*] Breuiter hic addendum; quod † ſolidus in libris iuris noſtri nihil aliud ſit; quam aureus. Nam quod dicitur ſolidus in §. fin. Inſtit. tit. de pœn. temere litigant. aureus appellatur in l. penult. & vltim. ff. de in ius vocand. Andr. lib.2. obſeruat.39. nu.1. vbi ait, id communiter receptum eſſe.
3 Aureus † autem duabus de cauſis dictus fuit ſolidus: primum quod ex auro puro conſtabat: ſiquidem ſolidum veteres integrum vocabant. Deinde, vt ab eo diſcerneretur, qui dimidiatur, aut dimidiato minor erat, hoc eſt, ſemiſſe, & tremiſſe, auctore D. Bocer. d. comment. de donat. cap.3. num.62.
4 Verum † cum hodie noſtrates aurei minoris ſint ponderis, quam aurei fuerunt Iuſtinianici; non vſque adeo expeditum eſt, ad quam aureorum noſtratium quantitatem donatio abſque inſinuatione hodie valeat. Qua de re, poſt Clarum noſtrum, varij varia litteris prodiderunt: vti videre eſt ex Vvrmpſero in practic. obſer. tit.49. de verb. ſignif. obſeru.11. Bernardo Græuæo, lib.2. cōcluſ. 39. conſiderat.2. Io. Gutierrez tract. de iuramēto cōfirmatorio. c.7. nu.4. & ſeq. Io. Koppen. deciſ. 5. n.16. & ſeq. Io. Schneideuuino ad §. aliæ 2. tit. Inſtit. de donationib.24. hoſque laudante D. Bocero, d.c.3. nu.65. & ſeq.
5 Sane ſi † extet loci ſtatutū, uel conſuetudo, ad quā uſque ſummā citra inſinuationé donatio ualeat: ea omnino attendi, obſeruariq; debet. Hinc Coloniæ uſque ad 1200. aureos, & Aſquigrani ad 2000. aureorum monetę currētis (ut uocāt) donatio abſq; inſinuatione facta ſubſiſtit, teſte Gail. d. lib.2. obſer.39. n.4. & Obrechto diſp.2. de donat. th.168. *Harpr.*

d *Iuriſta.*] Quinimò hodie reperiuntur Iuriſtę, qui inauditas fabricant ſibi opin. atque tenaciter illas contra ius ſeruant: ut dixi in ſing. meo 372. ſuperioribus diebus. *Giach.*

6 *Quid ſit inſinuatio.*] Inſinuationem † alij aliter definiunt: ut conſtat ex Bart. in l. Modeſtinus 23. ff. de donationibus. Schneideuuino ad d. §. aliæ 2. nu.7. Inſtit. eod. Ant. Gabr. tit. de donat. lib.3. concluſ.1. Ioſeph. Ludou. commun. concluſ.17. D. Obrechto d. diſput.2. th.138. & Petro Nicolao Mozzio d. tract. de donationib. tit. de ſubſtantialibus, ſeu quæ requirantur in donat. num.6. *Harprec.*

f *Per ſuperiorem auctoritatis præſtatio.*] In ſtatu, & ditione ciuitatis Ferrariæ duo habemus ſtatuta: unum de ſolemnitatibus



tatibus lib.2. cap.99. fol.92. alterum lib.2. cap.70. de donat. inter viuos, vltim. diſpoſitio. &c. fol.307. quæ ſunt in viridi obſeruantia: illa videnda ſunt, atque obſeruanda per ſubditos. Et ſcias, quod donatio, etiam iurata, non ſeruata forma ſtatuti probatoria, haud valet: communem vide, per Roland. conſil.43. in princip. volum.3. Et ſemper aduerte, quod tantæ eſt virtutis, efficaciæ, atque potentię inſinuatio, quod ei haud poteſt renunciari; per Roland. in conſil.39. num.35. cum ſequentib. Vbi nō poteſt inſinuationis defectus purgari per renūtiationem, quia non valet dato, quod eſſet iuramento firmata. Et iſta eſt communis ratio, quia inſinuatio eſt introducta ad publicam vtilitatem: cuius intereſt, ne quis re ſua male vtatur: & iuramentum contra publicam vtilitatem non valet & communem eſſe atteſtatur Barb. in conſil.16. volum.2. & (vt dixi) in ditione ſtatus Ferrariæ haud eſt à ſtatuti forma recedendum. Et quando vitiatur in exceſſu, per Roland. in conſ.19. num.14. in conſ.39. nu.39. & in conſ.63. num.15. qui alios allegat, quicquid dixerit Socin. in l.1. ff. ſolut. matr. Idem de illa communi dixi in collect. mea cōmun. opin. verb. donatio, nu.98. & nu.99. & 110. duas poſui fall. *Giach.*

7 g *Sufficit, quod fiat coram iudice. &c.*] Expediri † inſinuationem poſſe apud quemuis iudicem, etſi bona alibi ſita ſint, liquet ex d. l. data.27. vbi Bartol. & l. in hac ſacratiſſima, 30. C. de donationib. & notant Hippolytus Riminald. ad §.1. nu.165. Inſtitut. de donat. Gail. d. lib.2. obſeruat.39. num.28. & obſeruat 123 num.5. Emanuel Soarez in theſaur. recept. ſent. littera I. num.107. & D. Bocerus dict. Commentar. de donationib. cap.3. num.49. vbi num.50. ſubijcit, tutius eſſe, fieri inſinuationem iſtā coram iudice competente, cui ſcilicet donator, vel res donata ſubiecta eſt, per notata Guidonis Papæ q.325. & Schneidevvin. ad d. §. aliæ 2. numero 11. Inſtit. de dona-
8 tionib. Sola † autem iudicis præſentia non ſufficit ad donationis inſinuationé; ſed inſuper neceſſe eſt, vt de volūtate iudicis appareat, quod donationem ad acta referri, atq; ita inſinuari eam voluit: quemadmodū, poſt alios, firmat Ant. de Canar. prędicto tract. de inſinuat. part.1. q.14. nu.30. & ſequitur Hartman. Piſtoris lib.3. quæſt.9. numer.15. necnon D. Bocerus d. cap.3. num.56. *Harprec.*

# QVÆSTIO XVI.

## SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Inſinuatio an requiratur in donatione tacita, vel præſumpta.*
2 *Et an in pacto gratuito, vel ſimplici liberatione.*
3 *Et an in pacto de non petendo.*
4 *Et quid in ceſſatione facta ex cauſa donationis.*
5 *Et quid in donatione reciproca.*
6 *Et quid in donatione ob cauſam.*

Ex Additionibus.

1 *Nunquid inſinuatio requiratur in donatione præſumpta, vel tacita.*
2 *Et an in remiſſione ex cauſa donationis facta.*
3 *Et an in pacto gratuito, vel ſimplici liberatione.*
4 *An item in donatione reciproca, ſeu remuneratoria, remiſſiue.*

## QVÆST. XVI.

1 *His ſic pręmiſſis, redeo ad cōcluſionem ſuperius factam, ſcilicet, quod in quacūque donatione, quæ excedat ſummam* a *quingentorum ſolidorum* [a] *requiritur inſinuatio, alias nihil valet, & in primi, quæro, an* b *hæc concluſio* [b] *habeat locum etiam in donatione tacita, vel præſumpta? Reſp. quod etiam in illa requiritur inſinuatio. Ita colligitur ex doctrina Bart. in l. 1. num. 2. ff. de donat. quam dicit eſſe communiter approbatam Curt. iun. conſil.126. circa fin. Potuißet allegare Bart.*

## ADDITIONES.

a *Quingentorum ſolidorum.*] Intellige de aureis, quorum ſeptuaginta duo faciunt libram auri; per Roland. dict. conſil.39. num.44. Natta conſilio 165. in fine, quæ quingenta hodie aſcendunt ad 670. vt atteſtatur Socin. iun. conſ.67. & 118. lib.2. & conſil.101. lib.3. Et ſecundum Natta eodem conſ. 28. colu. 1. hodie ad faciendam auri libram 96. aurei concurrunt; vnde hodie facto calculo, vltra 700. aureos dicit valere donationem. *Giach.*

b *An hæc concluſio habeat locum etiam in donatione taci-*
1 *ta.*] Quod † inſinuatio etiam requiratur in donatione præſumpta, vel tacita, vltra Clarum hic noſtrum, & alios ab eo allegatos, tradunt Ioſephus Ludou. commun. concluſ.17. verſic. an eadem, &c. & Petrus Nicolaus Mozzius in tractat. de donationibus ſub titul. de ſubſtantialibus, ſeu quæ requirantur in donat. numero 17. verſic. idem erit dicendum, &c. vbi ſub-
2 dit, ſi † facta ſit remiſſio ex cauſa donationis, itidem neceſſariam eſſe inſinuationem: eo quod, ſi appareat de intentione & effectu, non ſit reſpiciēdum quomodo verba concepta fuerint, per notata Curtij Iunioris conſilio 128. & Calcan. conſil. vigeſimoquinto, poſt num.23. *Harprec.*

*An*

c *An etiam in pacto*
3 *gratuito,&c.*] In † pacto que gratuito, vel liberatione ſimplici facta non expreſſa cauſa, ſi ſumma quingentorum aureorum excedat, inſinuationem deſiderari, præter Claru, & ab eo cumulatos hic, tenent Tiraquellus in l. ſi vnquam.8. in verb. donatione largitus nu. 173. & num.176. C. de reuocand.donat.Moz.d.num. 17. alijque per hos adducti. *Harprec.*

d *Habebit locum concluſio etiam in pacto de*
4 *non petendo.* ] Adde † idem ſententes Coſtant. Rogerium in l. in ædibus 9.ff.de donationib. Tiraquellu in d.l. ſi vnquam, 8. in verb.donatione largitus.num.196.cum ſeq. C. de reuocand. donat. & Moz.d.tit.de ſubſtantialibus,&c. numero 18. *Harprec.*

e *Nunquid in donatione reciproca,&c.*] Quod
5 † donatio reciproca, & remuneratoria non exigat inſinuationem, often ſum eſt ſupra ad quæſt.2. num.7. & quæſt.3. num. 4. *Harprec.*

*hoc clarius dicentem in l. fin. in princip. numer.3. C.de iur. dot. vbi infert ad confeſſiones,quas mariti faciunt de dotibus receptis, quæ habent vim donationis tacitæ, ſeu præſumptæ: & eſt valde notabilis deciſio, & quæ aliquando mihi magnam honorem fecit in practica.*

2 c *Item quæro, an etiam* [c] *in pacto gratuito, ſiue liberatione ſimplici, facta non expreſſa cauſa, requiratur inſinuatio? Reſpond. quod ſic, ſi excedit ſummam quingentorum ſolidorum. Ita tenet gloſſ. vulgatiſſima in l. ſi quis obligatione, ff. de reg.iur.&eſt communis opi. vt dicit Alexan. in l. creditori, num.4. C. de pact. quem refert Dec. ibi, num. 12. & in d.l. ſi quis obligatione, numer.10. & Socin.in d.l. creditori, in 2.notab.Calcan. conſil.25.num.23. Iaſ.conſ.399. col.2.verſ. Sexto iſtam, lib.2. Curt. iun. conſ.47. num. 3. Cagnol. in d.l. ſi quis obligatione, num. 4. quem refert Duen. reg. 224. in 1. ampliat. Alciat.in l. ſi dediſſe, ff. de verb. ſignif. qui dicit,quod hoc cōmuniter approbatur. Didac. lib.2. reſol. capit.4. num.8. Et quod in pactis liberatorijs requiratur inſinuatio,dicit communiter teneri Claud. in d.l. creditori, num.1. Cum enim appareat de animo donandi, ex quo nulla cauſa ſubeſt, idem iudicatur, quod de donatione expreſſa.*

3 *Eademque ratione habebit locum* [d] *concluſio, etiam in pacto de non petendo. Nam ſi debitum ſit liquidum, & excedat ſummam quingentorum ſolidorum, erit neceſſaria inſinuatio: & itamagis communiter tenetur,vt dicit Alex. in l. Neſennius, §. fin. ad l.Falc.Hanc etiam dicit eſſe communem opin. Ripa in l. ſi vnquam, num.39.*

4 *Idemque ſi ſit facta ceſſio ex cauſa donationis, pariter erit neceſſaria inſinuatio.Et hæc eſt communis concluſio,vt ait Curt.iun. conſ.126. paulo ante fin. Nam vbi appareat de intentione, non eſt curandum, quomodo verba concepta fuerint: & generaliter, quod remiſſio, vel renunciatio,vel indebita ſolutio ſcienter facta, ſit donatio, & inſinuatione indigeat, dicit eſſe magis communem opin. Calcan.conſ.25. poſt num.23. verſ. ſed poteſt.*

5 *Sed nunquid* [e] *in donatione reciproca, ſeu viciſſitudina-*
e *ria requiritur inſinuatio? Reſpond. quod non. Ita conſuluit Oldrad. conſ.139.num.13. & hæc opinio eſt per omnes approbata, vt ait Curt. iun. conſ.81.num.5.Talis enim non dicitur proprie donatio, vt dixi ſup. q.2.verſ. Item quæro.*

6 *Sed quid dicendum in donatione ob cauſam? Reſpondeo, quod in illa non requiritur inſinuatio,præſertim ſi eſt facta animo remunerandi. Ita tenet Bart. in l. Aquilius Regulus, num.3.ff.de don.qui in hoc communiter approbatur,vt dicit Soc.iun.conſ.77.num.152.lib.1.Idem etiam dicendum eſt, vbi facta eſſet donatio ob cauſam, vel de futuro, maxime ſi eſſent oneroſæ, & tendens ad diminutionem patrimonij, vel bonorum futurorum, ſecundum Bart. in loco prælegato, & eſt communis opin. vt dixit Alexan. conſ. 113. num.31.lib.6. Huiuſmodi enim donationes, cum aliam habeant cauſam, quam liberalitatis, proprie donationes dici non poſſunt, vt dixi ſupra.*

## QVÆSTIO XVII.

### SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Inſinuatio an requiratur in donatione facta Eccleſiæ.*
2 *Donatio non inſinuata nunquid annulletur in totum, an autem ſolummodo quatenus excedit ſummam quingentorum ſolidorum.*
3 *Et an donatio inter virum & vxorem, quatenus non eſt inſinuata, confirmetur morte.*
4 *Et quid ſi in donatione appoſita ſit clauſula, quod vult cenſeri plures donationes non excedentes ſummam quingentorum ſolidorum.*
5 *Et an poſſit per pactum renunciari inſinuationi.*

Ex Additionibus.

1 *An donatio Eccleſiæ, & pijs cauſis facta ſine inſinuatione valeat, ſi legitimam excedat.*
2 *Eccleſia vltrix eſt, & auctrix iuſtitiæ.*
3 *Quibus caſibus donatio, vltra quingentos aureos facta, ſubſiſtat.*
4 *Coram Principe nihil occulte fieri intelligitur.*
5 *In Principe nullus dolus timeri poteſt.*
6 *Princeps legibus ſolutus.*
7 *Liberalitas Principis nullis cancellis coerceri debet.*
8 *Quod de Romanorum Imperatore cautum eſt, num extendi quoque poſſit ad Duces, & Principes, ceteroſque Imperatore inferiores.*
9 *Noſtri hodie Duces, Principes, Comites, &c. in ſuis territorijs Imperatori comparantur.*
10 *Liberalitatem exercere primum eſt Principum, & Nobilium.*
11 *Donatio facta Imperatori à priuato, inſinuationem non exigit.*
12 *Ecquid donatio non inſinuata annulletur in totum, an ſolummodo quatenus excedit ſummam legitimam.*
13 *In diuiduis vtile per inutile non vitiatur.*
14 *Superfluum illud quo remedio repetatur.*

## QVÆSTIO XVII.

1 *SVcceſſiue quæro, nunquid prædicta concluſio, quę habet inſinuationem requiri in quacunque donatione excedente ſummam quingentorum ſolidorum, habeat locum etiam in donatione facta Eccleſię, vel pię cauſę? Reſpondeo, quod non. Illa enim valet abſque inſinuatione; & licet per diſpoſitionem l. illud. C. de ſacroſ. Eccleſ. ſolummodo concederetur donari Eccleſię ſine inſinuatione, vſque ad ſummam quingentorum ſolidorum; quo tempore non licebat priuatis donare ſine inſinuatione, niſi vſque ad ſummam trecentorum ſolidorum; tamen ex quo poſt illam legem ſuperuenit diſpoſitio, l. penult. C. de donat. quę conceſſit etiā priuatis donari ſine inſinuatione vſque ad ſummam quingentorum ſolidorum: pariter etiam extendi debuit priuilegium Eccleſia vltra illam*
a *ſummam; & ſic hodie* [a] *tenendum eſt, quod valeat donatio, facta Eccleſia vltra quingentos ſolidos, ſine inſinuatione. Ita tenuit Bartol. in d. l. illud. num. 4. & ita communiter teneri atteſtatur Felyn. in c. Eccleſia S. Mariæ, poſt num. 82. de conſtit. Hanc etiam opin. dicit eſſe communem Iaſ. cōnſ. 169. num. 8. lib. 3. Ripa libro 3. Reſp. c. 11. nu. 10. Petrus Rebuff. de priuilegijs ſcholarium, priuileg. 64. quem refert Duennas reg. 224. in 9. limitatione. Cum enim neceſſitas inſinuandi proueniat ex diſpoſitione iuris ciuilis, illa attendi non debet in præiudicium Eccleſiæ, vel piæ cauſæ, vt dixi ſupra lib. 1.*

*Sed quęro, ego feci donationem alicui de ſumma mille aureorum, & non feci illam in-*
b *ſinuari, nunquid* [b] *donatio vitiabitur in tutum, an autem ſolum quatunus excedit ſummam quingentorum ſolidorū? Reſp. quod ſolummodo vitia-*
c *tur, quatunus excedit* [c] *ſummam quingentorum ſolidorū, tex. eſt in l. ſancimus in princ. C. de donat.*

*Sed hic incidenter quæro.*
3 *Tu ſcis, quod donatio inter virum, & vxorem confirmatur morte, vt dixi ſupr. q. 9. verſ. Scias autem. ſcis etiam, quod ſi excedit ſummam quingētorum ſolidorum, ad hoc vt confirmetur morte, requiritur, quod ſit inſinuata; alias vero ſi non ſit inſinuata, non confirmatur. vt eſt text. expreſſus in l. donationes, la 1. C. de donat. inter vir. & vxor.*
d *Nunquid* [d] *talis donatio excedens quingentos ſolidos, &*



### ADDITIONES.

a
1 *Hodie tenendū eſt, quod valet donatio facta Eccleſiæ, &c.*] Etſi Interpretes plerique affirmant, quod † donatio collata in Eccleſiam, vel alias pias cauſas inſinuationem reſpuat, licet legitimam excedat ſummam, vt conſtat ex Claro noſtro, & Anton. Gabr. Rom. lib. 2. commu. concluſ. rubr. de donation. concluſ. 1. num. 28. & alijs ab his congeſtis: attamen erroneam hanc eſſe aſſertionem, arguit textus in l. ſi quis argentum. 35. §. vltim verſ. tantoque magis. C. de donat. & l. illud. 19. C. de ſacroſanctis Eccleſ. quę leges etiam in pijs cauſis inſinuationem euidenter requirunt. Quamuis enim magnus ſit piarū cauſarum fauor: tamen cum hæc ſolēnitas propter vtilitatem publicam introducta ſit, ne homines decipiātur. l. data. 27. C. de donat. nō immerito etiam in pijs cauſis interuenit. Nam Ec-
2 cleſia † vltrix, & auctrix iuſtitię nō patiatur aliquid contra iuſtitiam fieri, in ſe vel in alterum. c. 1. verſic. etſi clientulis, de alienat. feud. D. Obrecht. diſput. 2. de donat. the. 175. & ſequ. idque explanatius perſequitur D. Collega Bocerus in commentar. de donation. cap. 3.
3 num. 70. & ſequentib. Enimuero † excipiuntur quinque caſus, in quibus donatio, vltra 500. aureos facta, ſine inſinuatione ſubſiſtit. I. eſt ſi pro captiuis redimendis facta ſit. l. ſi quis pro redemptione. 36. in princip. C. de donation. Eiuſque ratio ex fauore dependet. II. eſt, ſi donatio illi ſit facta, cuius domus incendio, vel ruina perijt. dicta l. ſi quis. 36 §. eandemque. 2. C. eodem. Cuius ratio ſimiliter ex fauore dependet. III. eſt, ſi cui plures diuerſo tempore ab vna perſona donentur. Si enim non ſingulæ, ſed omnes coniunctæ legitimam quantitatem excedunt, non opus eſt inſinuatione: quia tot intelliguntur eſſe donationes, quot vicibus ſunt factæ. l. ſancimus. 34. §. ſi quis autem. 4. C. de donation. Econtra, ſi quis plures res, vltra quingentos aureos æſtimatas, eodem tempore alicui donat, & in inſtrumento dicit, tot eſſe donationes, quot ſunt res: non valet ſine inſinuatione donatio: quia in fraudem facta intelligitur, vt notat Cynus in dicta lege ſancimus. 34. § ſi quis autem. C. dict. titul. Clarus noſter hic numero quarto, & D. Obrecht. d. diſput. 2. theſ. 183. IV. caſus eſt, ſi quid a Duce belli, ſeu a Magiſtris Militum donetur fortiſſimis militibus. Hæc quippe donatio fauore militum abſque inſinuatione ſubſiſtit. dicta l. ſi quis pro redemptione. 36. §. ſimili. 1. Cod. de donation. V. ca-
4 ſus eſt, ſi † donatio ab Imperatore in aliquem collata ſit. l. ſancimus 34. C. eodem titul. l. illud. 19. C. de ſacroſanctis Eccleſ. Hoc caſu ideò inſinuatio neceſſaria non eſt: tum quia coram Principe, qui ſemper proceres ſecum habet, nihil occulte fieri intelligitur, argum. l. omnium. 19. ibique Doctores, C. de te-
5 ſta. Bald. in d. l. ſancimus. 34 C. de donation. Tum quia in Principe nulla fraus, nulluſve dolus, ob maieſtatem, ac dignitatem perſonæ, timeri poteſt. Dom Obrecht. d. diſput. 2. theſau. 192.
6 Tum † quia Princeps legibus ſolutus eſt. l. Princeps. 31. vbi Do-
7 ctores. ff. de legibus. Tum † poſtremo quia liberalitas ipſius Principis nullis frenis, atque cancellis eiuſmodi coerceri debet argum l. penult. C. de donat. inter virum, & vxor. & l. vlti. C. de præpoſitis agent. in rebus Marc. Mantic. conſilio 1. numer. 15. Tiraquell. de nobilit. cap. 37. nu. 53. Riminal. tit. Inſtitut. de donat. §. 1. num. 1221. edit. 2. Modeſtin. Piſtoris, q. 9. num. 2. lib. 3. Quos refert, & ſequitur D. Bocer. d. Commentar. de donation. cap. 3. num. 73.

8 Ecquid autem † idem hodie ſit ſtatuendum in noſtris Ducibus, Principibus, Comitibus, & Baronibus, qui Imperatore ſūt inferiores, eumque tanquam ſuperiorem recognoſcunt, controuerſum eſt. Negant id Socin. Iun. conſ. 69. n. 41. libr. 1. Anton. Gabr. Rom. lib. 3. commun. concluſ. de donat. concluſ. 1. nu. 23. alijque per hos citati. Aſt alij communiter affirmant Oldrad. conſ. 231. Bald. in dicta l. ſancimus. 34. C. de donation. ibique Barba. in ſuis addit. Roma. conſ. 59. numer. 7. & 8. vol. 2. Tob. Non. conſ. 1. num. 374. & alij, quos recenſet D Bocerus d. cap. 3 nu. 77. Ratio, quæ in hanc adducti ſunt ſententiam hi Interpretes,
9 illa perhibetur: quia † noſtri hodie Duces, Principes, Comites, & Barones in ſuis regionibus, & territoriis Imperatori comparantur: adeoque in iſtis eandem babent poteſtatem, quam Imperator in Imperio Romano obtinet Paulus de Caſtro conſ 34. col. 2. volum. 2. Alex. conſ. 2. nu. 25. vol. 1. Iaſon conſ. 101. num. 2. volu. 4. Dec. conſ. 519. num. 4. Cęphal. conſ. 539. num. 15. Cacheranus Deciſ. Pedemont. 156. numero primo, alijque per hos
10 relati. Neque vero decorum eſt, horum † Dominorum donationes ad certa ſolemnia aſtringere: cum donare liberalitatem, & munificentiam exercere proprium ſit Principum, & præcipuus nobilitatis actus, qui merito à libero eorum arbitrio ſimpliciter pendere debet, vt, poſt Abbatem in cap. 1. de donation. aſſerit Dom. Obrechtus dict. diſput. 2. de donationib. theſ. 197.
11 Ceterum † vt donatio a Principe alicui facta, non deſiderat inſinuationem: ita nec ea donatio inſinuatione eget quæ à priuato ipſi Principi facta eſt. Nouell 52. capit ſecundo, & Auth. item à priuato. C. de donationibus. D. Bocer. d. cap. 3. num. 74. & ſeq. *Harpr.*

12 b *Nunquid donatio vitiabitur in totum.* ] Quod † donatio non inſinuata, excedens quingentos ſolidos, haud in ſolidum vitietur, ſed tantum in eo, quod legitimam ſummam excedit, probatur etiam (per textum in l. ſancimus. 34. in princip. C. de donat. a Claro hic adductum) per l. vt mihi donares. 21. §. 1. ff. de donat. l. ſi quis argentum. 35 §. ſin autem. 3. in fin. C. eodem, & Nouel. 126. cap. 1. §. Illud etiam, &c. Petrus Nicol. Mozzius in tractatu de donation. titul. de ſubſtantialibus, ſeu, quæ requirant in donation. numero 16. verſ. & quod donatio, &c. vbi plures ad hoc citat. Eiuſque ratio, hæc aſſignari poterit:
13 quia † indiuiduis vtile per inutile non vitiatur. cap. vtile 37. de regul. iur. in 6. Ibique Pecchius, & Dynus. l. eum, qui ita. 56. §. 1. vbi gloſſ. in verb. ſuperuacua. ff. de verborum obliga. Gail. lib. 2. obſeruat. 5 numero 8. Robert. diſput. 10. ad Inſtitut. theſa. 9.
14 Reperitur † autem ſuperfluum illud condictione ſine cauſa, d. l. vt mihi. 21. in fine, & ibidem gloſſ. ff. de donationibus, & notat Dom. Bocerus dict. Commentar. de donationibus, cap. 3. numero 82. eumque referens Andreas Gerhard. decad. 7. quęſtion. 9. *Harprec.*

c *Quatenus excedit.*] Vide quæ ſup. q. 15. dixi. *Giach.*

d *Nunquid.* ] Item an donatio inter virum, & vxorem non inſinuata ſit in totum nulla? Vide per Ruinum in conſ. 44 numero 20. vol. 2. Rol. conſ. 70. nu. 6. vol. 2. quos vide, & ſcias quod illa donatio non eſt donatio inter viuos, nec cauſa mortis, ſed eſt tertia ſpecies, ſecundum Alex. conſ. 143. col. fin. volu. 5.